

[ΕΠΙΘΑΛΑ'ΜΙΟΝ] lectissimis
sponsis, viro virtutis
præstantiâ, eruditionis l...

Portino, Petro

1 Ic 1678 Mathesio, Andreae



National Library
of Sweden

ΕΠΙΘΑΛΛΑΜΙΟΝ

Lectissimis Sponsis,

VIRO

Virtutis præstantiâ, Eruditionis laude, Muneris claritate Spectatissimo,

DOMINO

ANDREÆ MATHESIO,

In Bothnia Orientali, Urbis Gambla Carlby
Consuli Dignissimo;

Virginiq;

*Natalium, suiq; Sexus Virtutum splendore
pariter coruscanti*

CÆCILIAE AUSIÆ,

Holmiæ,

Anno Ch. M. DC. LXXVIII. die 24. Mensis Junii,
In sacra nuptiarum fœdera,Receptis ritibus, decenti pompa, festivitate maxima,
Coeuntibus,Honoris, debiti officii, nec non boni ominis causâ
Condituma
Petro Portino, Ost: Bothn.

HOLMIÆ Excudit Ioh, Georg, Eberdt,

1678

Mrs. Portino.



Vnde mihi carmen nascetur? carminis unde
Principia, Aoniæ, pandetis grata, Camænæ?
Quo potero læto testari gaudia plausu
Dulcia, quæ resonant urbesq; Domusq; Theatra?
Non meditor tristi lugubres omine versus,
Non Elegis scissam querulis deslebo cupressum,
Non ruptas leges, pacem, non fædera fracta,
Dirave non memoro funesti fulmina Martis;
Ast hilari vultu quam gestit prodere fama,
Fama voluptatem roseo quam fundit ab ore:
Non procul à Vestro præcelso Helicone, Camænæ,
Quem campi Upsaliæ cingunt & amæna vireta,
Est Caput Arctoi supremaq; nobilis orbis
Arx, quam Mælareæ fauces rupesq; coronant,
Heic quia Nympharum satis est bona copia, Phæbo
Has inter placuit perpulchros sistere ludos,
Obstupuisse putes quisquis subjecerat unquam
Hæc oculis jucunda suis certamina, quosq;
Flexanimos solita est hæc turba ciere lepores!
Non placet ingentem juvenum memorare cateryam
Vicini ruris, patriis quamq; adsita terra
Agris, huc mittit choreas sociare volentem.
Sed juvat extremas telluris trans mare partes
Respicere atq; oras borealis quas regit arctos.
Inde virum quondam, doctæ pulchræq; sorores,
Indolis ingenuæ, docuistis Palladis artes.
Ac fuit is Montis Parnassi tunc decus ingens,
Quem Themis inde suis ascissens usibus alma
Abstulit ac jussit jus fas expendere in urbe.
Sed Venus ipsa novum dat munus, pectore versat
Muneri huic sacro sacratum jungere Munus;
Scilicet, hic nil tale putans, aprica pererrans

Litto-

Littora Hyperborei crebris stridentia ponti
Fluctibus, Incaluit, rapidas & in ossibus imis
Concepit flammæ, Quid! quærens anxius omni
Cura, num posset morbo medicina parari
In patriis hortis, croceis qui floribus halant,
An quibus in campis similes miscentur odores,
Anne favos dulcesq; thymos parientibus hyblis,
Substitit, hinc animum quidvis sperare jubebat,
Vocibus ac votis dum cælum atq; æthera pulsat,
Quid mora? de celsa descendens Æolus arce
Correptum subito placidas Aquilonis in alas
Sustulit, ac mihi Neptuno credidit, atq;
Per mare, per vasti spatiosa silentiaponti
Deductum tandem dedit Holmica Templâ videre.
En lætum auspiciû! bonæ aves! En prospera fatal
En risus, plausus, superumq; ingentia dona!
Et Venus & Juno, Jupiterq; Dianaq; Hymenq;,
Quæq; tenent cælos genialia numina plura
Hospiti in occursum descendunt ordine pulchro.
Tunc primum reliquis, hæc talia Divus Apollo
Incipit: Hic claræ non infima gloria gentis,
Egregius Juvenis, Phæbi nostræq; Minervæ
Portio chara cluit, quamvis his hospes in arvis
Sit, tamen indignus minimè, quin lilia carpat.
Namq; placebit & hinc aliquando mittere forsan
Formosos juvenes patriis qui in sedibus ejus
Et flores & ferta legant. Heus parve Cupido!
Cujus adhuc telis Nostri sunt faucia corda,
Virgineum pectus, quam sis celer euge videbo,
Percute. Sed Mens hæc est nobis omnibus una,
Ad nova conjugii Musas quoq; pacta vocare;
Quare, ut dignentur nostros decorare Hymenæos;
Est hic Sicelidum de stirpe venusta propago,
Thespiadum Vatis, (quem sæva falce peremit
Parca ferox, & jam cælesti sede receptus
Qui radiat felix æternâ luce,) relicta
Progenies; stat connubio hanc sententia Nympham
Jungere huic nostro decori Themidosq; celebris
Sic ait, & dicto citius puer aliger igni
Virginis accendit pectus castasq; medullas;
Jamq; faces accendit Hymen, non amplius ulla
Est mora, quin statim sacras procumbat ad aras
Cum Sponsâ Sponsus. Ne dedignemini O Musæ
Hos thalami celebrare, precor, felicitis honores,
Quin

Quin potius faciles in tales rumpite voces:
*Fungite concordēs, Neonymphi jungite dextrās,
Dextrās sic junctās, non dextera separet ulla!
Nulla pium fœdus temeret crudelis Erynnis,
Nulla thori socios atrox infestet Alecto.
Sed qui corda duūm junxit castissimus ardor,
Nunc unam foveat mentem faciatq; beatam!*

Ple sane, atq; haud secus quam æquos sapientiæ divinæ æstimatores de-
cet præclare de creaturarum plerisq; insitâ naturâ sentiunt, quicunq;
in hac mortalitate dum degunt, nihil amica vitæ animorumq; Con-
junctione ducunt præstabilius. Cælum intuemur, & blande conspi-
rant astra; Luna quidem radiis solis accensa splendet, tum reliquæ quoq; o-
mnis siderea compages mutuo illustratur fulgore. In aëre etiam, cui non in-
proclivi erit ex tam frequentibus volatiliū gregibus, jucundaq; quam amant
societate, pulchra amicitia vestigia comperire? Sola enim quæ vagatur, raram
habebis avem, suoq; potius generi exolum graculum. Quin imo in terris
quoq; & inferiori universi systemate semper cum sole circumagitur Heliotro-
pium, & gaudet ulmus cohabitare vitibus. Adeo illa etiam quæ cum vita vel
exiguū, cum sensu & ratione plane nullum habent commercium, solo natu-
ræ impetu similium contubernia vestigant, & perenni veluti amplexu & oscu-
lo coherent. Quid ergo Homo, cui cælestis indulgentia eximiam & divi-
nam propemodum concessit sortem, ut ejus beneficio recte cum homine con-
versari sciret? Hæc ne inquam tam præstans creatura, tam præfracte à comū-
ni mortalium conditione se eximeret, tamq; obduceret callum, quin de ami-
co cogitaret quin vitæ fortunarumq; consortem sollicita quæreret? Præsertim
cum in solatium nobis invicem nati simus homines, nec unquam tam ab omni
parte solida nobis adspiret fortuna, quin subinde magnas ærumnarum procel-
las apud amicum deplorare cogamur. Sensit id qui non veritus est affirmare,
Omniem è vita humana tolli jucunditatem, amicitia sublatam. Atq; hæc mihi
causa videtur esse non levis, Cur Vos, Ornatissimi Sponsi, recte & sapienter
rebus vestris consuluisse arbitrer, quod illam, quam ad utriusq; fortunæ, com-
munibus viribus excipienda & sustinenda fata, fidem invicem dedistis, hodi-
erna luce sacro conjugii vinculo itis confirmatum. Hujus præstantiam & di-
gnitatem fœderis, mea infantia & in dicendo imperitia hic non sumit sibi con-
digne celebrandam, & vereor ne id hujus scriptionis excedat modum. Tan-
tum utriq; vestrum, in deligendo consortio, felicem aleam vehementer gra-
tutor. Nam præterquam quod pari uterq; radiatis generis splendore, inve-
nisti Tu spectatissime Dn. Consul conjugem, licet præsidio dulcissimorum,
parentum mature nimis orbatam, honoratissimæ tamen avia maternæ, quam
adhuc superstitem illi voluit divina clementia, diligentissima cura sic educatâ,
ut torum tuum casto amore, cæteramq; domum, pietatis multaq; virtutum,
pompâ ornare & ampliare possit. Tuq; Lectissima Virgo, virum nacta es,
non minus ob dignitatem muneris honoratum, quam Te ad honorandum,
fovendumq; mira quadam Ingenii & naturæ lenitate etiam nullo admonente
prorum & propensum. Ite ergo in mutuos amplexus & amicitiam felici
fidere initam, in proprium Vestrum Vestrorumq;, ingens emolumentum,
decus & solatium, ad seros usq; annos, pari successu ornate.

Voveo

Carolus Malmsten.